



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conversio Magni Avgvstini, Postea Hypponensis Antistitis Maximi

Werner, Ignaz

Lincii, M DC XCII.

§. V. Dolor Quintus. Proponit Christum totum cruentatum cum voce Ecce
Homo ad peccatorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70025)

Auditor mihi Phoebus erit, tellusq; polusque,
 Et quæ nocturnis Cynthia surgit aquis,
 Audiat attonito stellarum regia vultu,
 Et referet plausus spina diserta novos.

Christus ad peccatorem.

Promptus & in tribulos, & acutæ verbera dextræ
 Floreat ut mundus spinea tela feram.
 Pungito spina caput, ne crimina pungat averna
 Et mea, dum redimam, tempora dumus arcæ

§. V.

DOLOR QUINTUS.

Proponit Christum totum cruentatum
 cum voce ECCE HOMO ad pecca-
 torem.

TEnè ego, nec movear, videam Rex sanctorum
 dolorum!

Corpore de toto membra cruenta tibi!
 Deque tuis oculis videam super ora cadentes
 Sanguineas lachrymas, contineamque meæ
 Ecce homo, peccator! te quantum JESUS amavit
 Ut vivas, moritur: sanguine manat amor.

Ecc

Ecce homo, quā cœli gaudebant cernere formā.

Vulnere ab innumero forma nec umbra sui est.

Heu qualem aspicio! quantū es mutatus ab illo!

Aspicio, & superest vix levis umbra tui.

Non erat hæc nuper Thaboræi scena theatri,

Cū vestem imbuerent forma, decorq; nive.

Non erat hæc species, cū vivi opulentia solis

Fusā per herōæ frontis ovaret ebur.

Heu malè mutatæ funesta tragædia scenæ!

Heu quod dissimili terra decore nites!

Non roseis stat prima genis aurora, nec astro,

Gratia sidonio suavis in ore sedet.

Non radiat cervix crinisque plicabilis auro,

Condita funereâ sidera nocte latent.

Blanda supercilio clementi extinguitur Iris,

Quæque stetit niveis purpura mixta rosis.

Occidit oris honor, majestas regia vultus,

Forma verecundo picta rubore genas.

Lingua silet Verbi, silet alta potentia linguæ

Oris, & enecti fulmina fracta jacent.

Frontē obit horrificis textū intractabile dumis,

Sævit in Authoris spina cruenta caput.

Vulnere corpus hiat, lacerum sine viribus adstat

An dicam potiùs, corporis umbra tui. (get!

Ah satis est pœnæ! quod adhuc furor amplius ur-

Uterior nè potest his gradus esse malis!

Vulnera vos nihil hæc, nil vos lacerata flagellis
 Corpora ! nil spinis tempora læsa movent !
 Ah satis est pœnæ ! satis est junxisse dolorum !
 Innocuus patitur, crimina nostra luit.
 En ego peccavi, non me pudet ista fateri ;
 Ecce locum veniæ vulnere pandit amor.

Christus ad Peccatorem.

Ecce homo cruentatum
 In flagella JESUM datum !
 Ecce spinis subditum !
 Ecce homo corpus totum !
 A cruoris undis lotum !
 Ecce totum faucium !
 Ecce, homo, vim amoris !
 Cor contritum vi doloris
 Hoc repone præmium !

